



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 3. Explicantur definitionis verba, in exemplo particulari,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



4 TRACTATUS I.

hominis voluntatem aut beneplacitum significant: v. g. bellicorum tormentorum explosio, significat gaudium in adventu alicujus Principis, & Campana, quæ ideo signum in Rituali vocatur, quia dum sonat, indicat tempus divinorum Officiorum. Et similia.

Sacramenta sunt signa in hac ultima acceptione, quia significant, & efficiunt gratiam ex institutione Dei qui solus est Sacramentorum author & institutor, ut innuunt communiter sancti Patres: sanctus Ambrosius ait; *Autor Sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus? de calo ista Sacramenta venerunt.* Et Concilium Tridentinum ait: *Si quis dixerit, Sacramenta nova legis non fuisse omnia à Jesu-Christo Domino nostro instituta, anathema sit.*

D. Ambrosius lib. 4. de Sacra. cap. 4.

Conc. Trid. sess. 7. Can. 1.

ad Roman. 1.

ad Galat. 4.

D. August. lib. 19. contra Faustum, cap. 8.

Denique dicitur, *justitia efficienda vim habet*; quia Sacramenta novæ legis, sunt signa practica, quæ Deus non solum instituit ad significandum, sed etiam ad efficiendum quod significant; per quod differunt à Sacramentis legis naturalis & legis scriptæ sive Mosaicæ, in quibus non continebatur virtus producendi gratiam, quam producebant solum intuitu meritorum ejus qui ea suscipiebat: verum Sacramenta novæ legis in se continent virtutem producendi rem sacram quam significant, & hoc vocatur à Concilio Tridentino sess. 7.

Can. 8. *producere gratiam Ex opere operato*; quare Apostolus loquens de Circumcisione, vocat eam *Signaculum justitiæ fidei*: Et similiter Sacramenta veteris legis *Infirma & egena elementa* vocat: & Divus Augustinus ait, *Vetera Sacramenta promittebant gratiam, nostra verò eam exhibent.*

Quæst. 3. Explica hujus definitionis verba in aliquo exemplo particulari?



De Sacramentis. Cap. I. 5

*Resp.* Id faciliè fiet in Sacramento Baptismi: ablutio enim Corporis exterior quæ in eo fit, est res sensibus subjecta, quia cadit sub sensibus & oculis cernitur; quæ vim habet significandi, quia præter id quod exhibet oculis, scilicet corporis abluionem, nobis significat & repræsentat internam animæ abluionem; quare Divus Augustinus explicans illa verba Joannis 15. *Mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis, sic habet: Vnde tanta vis aquæ ut corpus tangat, & cor abluat? Ex Dei institutione*, quia ex voluntate divina corporis ablutio habet quod significet abluionem animæ: *Efficienda sanctitatis & justitiæ*, quia in hoc Sacramento anima abluitur & sanctificatur per gratiam, statim atque Corpus abluitur aquâ.

Divus Aug.  
explicans illa  
verb. Joan-  
nis 15.

*Quest. 4.* Jesus Christus, quatenus homo, est-ne Sacramentorum institutor?

*Resp.* Sanctus Thomas huic quæstioni satisfacit cum ait; *Dicendum quod interiorum Sacramentorum effectum operatur Christus, & secundum quod est Deus, & secundum quod est homo: aliter tamen & aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in Sacramentis per autoritatem; secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritorie & efficienter, sed instrumentaliter quia Passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis meritorie & effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per autoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus.*

D. Th. 3. p.  
q. 64. art. 3.  
in corp.

*Quest. 5.* Quare solus Deus instituit Sacramenta?

*Resp.* Rationem affert Divus Thomas, quia